



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De tempore quo hoc Sacramentum institutum est, & de differentia eius à
Ioannis Baptismo. 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

TRACTATUS XIX.

ET

DISPUTATIO VNICA, DE SACRAMENTO BAPTISMI.

EXPLICATIS in supradicto Tractatu iis, quæ omnibus Sacramentis communia sunt singulorum sacramentorum explicationem aggredimur, incipientes à Baptismo vt potè ianua reliquorum, & vitæ spiritualis fonte, ac radice.

PUNCTVM I.

De Baptismi nomine, eiusque definitione.

1. Expenditur nomen baptisimi.
2. Definitio baptisimi explicatur.

Hoc Sacramentum, quo à peccato originali mundamur, & in domesticos Christi sigillamur, vniuersi Patres, & Doctores baptismum appellant, eò quòd per immersionem, vel affusionem aquæ præstetur. Baptisimi namque vox Latine idem est quod immersio, vel introductio teste Ambrosio Calepino verbo *Baptismus*. Ob varios tamen sacramenti effectus aliis etiam nominibus hoc Sacramentum Patres nominauerunt, vt videre est apud D. Thom. q. 66. art. 1. ad 1. Bellarm. lib. 3. de sacrament. cap. 1. Suarez. q. 66. art. 1. in comment. Valqu. disp. 140. cap. 1. Præcipua sunt esse sacramentum regenerationis, fidei, doni, seu gratiæ, vntionis, illuminationis, indumenti, & sigilli. His vitur Gregor. Nazianzen. orat. 40. in sanctum Baptisma non longè à principio. Chrysof. homil. ad baptizandos, tom. 5. Tertullian. lib. de Baptismo. Basil. in exhortat. de baptizand. Cyril. Catech. 3. c. 19. Clem. Alexandr. lib. 1. pedagogia, c. 6. Ambros. lib. 2. de sacr. in fine. c. lib. 3. in prin. & alij Patres. Dicitur sacramentum regenerationis, quia eo demò nascimur & regeneramur. Iuxta illud Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Fidei* Sacramentum appellatur, quia in eo fit prima, & solènis fidei professio. *Gratiæ seu doni*, quia in eo gratia prima absque vilo nostro merito liberalissimè confertur, integræque peccatorum quoad culpam, & pœnam remissio. *Vntionis*, quia Spiritus sancti gratia vngimur participes regni, & sacerdotij Christi. *Illuminationis*, quia fide accepta in cognitionem Dei illuminamur. *Indumenti*, quia nuditas per peccatum contracta gratia huius sacramenti tollitur. *Sigilli*, quia in oues Christi primo sigillamur. Insuper solet vocari *Circumcisio Christi non manufacta*, ad Coloss. 2. quia loco corporalis circumcisiois antiquæ hæc spiritualis circumcisio successit. Deinde appellatur, *crux & sepultura*. Ad Roman. 6. quia baptismo veteris homo moritur, & quasi sepelitur, novum, que induimus, qui secundum Deum creatus est. Denique dicitur *principium & ianua sacramentorum*, qui eo redditur baptizatus aptus ad reliqua sacramenta suscipienda.

2. Baptismi nomine explicato. Doctores sequentes Mag. in 4. disp. 3. definiunt, vt sit ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum. Cui definitioni vt recta sit, subintelligi debet cum debita intentione. Nam stare optime potest ablutio corporis sub forma verborum pro baptismo præscripta, non tamen fieri Baptisimum, eò quòd deficiat legitima intentio. Hac enim ratione si aliquem ablueres profertens baptismi formam præscriptam absque intentione illum regenerandi, sed animo tantum representandi quòd ab Ecclesia Catholica sit, baptismum non conficeres. Benè tamen posses ludens & representans Ecclesiæ Baptisimum aliquem

baptizare, si animo regenerandi ablueres sub præscripta forma baptismi. Qualiter Athanasio contigit, qui etsi ludens, & representans Ecclesiæ baptismum, quia tamen verum animum, & intentionem faciendi quòd Ecclesia faciebat, habuit, verum baptismum pluribus non baptizatis contulit. Sicuti testatur Ruffin. lib. 1. histor. cap. 14. Sozomen. lib. 2. cap. 16. & refertur in cap. Spiritus sanctus, l. 1. q. 1. Est ergo baptismi definitio non solum ablutio corporis sub præscripta verborum forma, sed cum debita intentione facta. Quapropter Catechismus Romanus, 2. p. c. 2. dixit. Baptisimus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Sacramentum constituit loco generis, regenerationis per aquam in verbo vitæ loco differentia. Nam baptismus differt à reliquis sacramentis, eò quòd diuersam habeat materiam, & formam physicam, diuersamque significationem. Habet namque pro materia aquam non vitumque, sed corpus lauante, pro forma physica verba à Christo Domino instituta, quæ verba comparata ad abluentionem, quia eam decernunt, sunt forma. At quia ex prolatione illorum verborum & ex abluentione cum intentione regenerandi baptizatum integræ significationis sacramenti confurgit, ea de causa ablutio, & prolatio verborum habent se vt materia sacramenti, significatio vero vt forma, quæ vilo verbo regenerationis indicata est à Cathedris Romano. Hoc enim sacramentum Christo regeneramur, quia eius virtute primam spirituales vitam consequimur. Sic explicat Suarez. Baptismi definitionem 3. p. q. 66. art. 1. in comment. iunctis iis quæ dixerat. disp. 2. sect. 1. Agid. de Coniach. ibi Valqu. disp. 140. c. 1. m. 2. Bonac. disp. 2. de baptismo. q. 2. p. 1. m. 1.

PUNCTVM II.

De tempore, quo hoc Sacramentum institutum est, & de differentia eius à Ioannis baptismo.

1. Fuisse à Christo hoc Sacramentum institutum post resurrectionem qui defendant, & qualiter probent.
2. Ante mortem eius fuit hoc Sacramentum institutum.
3. Satis oppositis rationibus num. 1. relatis.
4. Quo die fuerit institutum, hoc Sacramentum incertum est. Plures censent post plures dies à Ioannis baptismo.
5. Probabilis est eò die, quo fuit Christus à Iomne baptizatus baptismum instituisse.
6. Fit satis fundamentis n. 4. adductis.
7. Qualiter baptismus à Christo institutus differat à Ioannis baptismo.

1. **Q**uod ad institutionem huius sacramenti attinet, fide tenendum est esse à Christo Domino institutum, sicuti de omnibus sacramentis definit. T. fid. sess. 7. can. 1. Quo autem tempore institutum sit, non ita certum est. Nam aliqui grauissimi doctores docent fuisse institutum post resurrectionem, cum Apollolis dixit. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; sic docuit expressè

pressé Tertulian. lib. de baptismo cap. 11. n. 86. Rupert. lib. 4. in Ioann. c. 3. Chryso. hom. 28. in Ioann. Theophylact. Ioann. 3. in illa uerba: Post hæc venit Iesus. Leo. 1. in epistola. 4. decretali ad uarios Episcopos Sicilia. cap. 1. & satis indicat D. Thom. q. 7. art. 5. ad 4. in priori solut. & probabilem reputat Causam lib. 6. de locis c. 5. s. quarto si longiore. Mouentur primò, quia nullibi legitur Dominum formam baptismi expressisse, neque utendam designasse, nisi post resurrectionem. Imo potius Luca 24. mittens discipulos suos ad annunciandum regnum Dei, varias potestates concessit eiciendi demonia, & curandi infirmitates, si autem baptismus institutus esset, moneret illos, sicuti post resurrectionem fecit, ut docerent gentes, & in nomine Trinitatis baptizarent. Secundo probant ex illo Ioannis 7. ubi Euangelista testatur nondum Spiritum datum esse, quia Iesus nondum erat glorificatus, hoc est, quia nondum erat mortuus, & resuscitatus. Si autem baptismus, quo Spiritus sanctus conferretur, esset ante Christi passionem, & eius gloriosam resurrectionem institutus, Spiritus sanctus datus esset. Signum ergo est baptismum institutum non fuisse. Tertio probant, quia Ioann. cap. 4. in initio expressit Christum Dominum non per se, sed per discipulos baptizasse, cuius expressionis nulla excogitari rationabilis causa potest, nisi quia eius discipuli baptizabant Ioannis baptismum, cuius usus Christum non decebat. Tandem, quia baptismus habet ex se ianuam regni cælestis aperire. At hæc aperta non est, quousque Christus Dominus morte sua in integrè satisfecit nostrorum peccatorum debito. Ergo ante hanc plenam satisfactionem non fuit institutus.

2. Ceterum tenendum est cum communi, longèque probabiliori sententia Christum Dominum ante mortem suam baptismum instituisse: sic docent Cyrill. lib. 2. in Ioann. c. 7. Nazianzen. orat. 39. August. variis in locis, præcipuè tract. 13. & 15. in Ioann. cap. 57. D. Thom. q. 66. art. 2. Magist. in 4. d. 3. & pluribus relatis firmant Suar. disp. 19. sect. 1. concl. 1. Vasq. disp. 140. cap. 3. Egid. de Coninch. q. 66. art. 2. Bonac. disp. 2. de baptismo q. 2. pun. 1. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 2. n. Probatur, quia ante passionem Christi Domini eius discipuli baptizabant, ut expressè habetur Ioann. 4. ubi audierunt Pharisei, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes, quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. At non est credibile eos baptizare baptismum Ioannis, neque alio baptismum ab eo, qui nunc est. Ergo baptismus ante passionem Christi fuit institutus. Minorem, in qua est difficultas, sic probò. Et in primis, quod discipuli Christi non baptizarent baptismum Ioannis uideretur manifestum. Tum quia non diceretur Christus medius illis baptizare, sed potius Ioannes, cuius erat baptismus. Tum quia discipuli Ioannis non conuenerunt, quod Christi discipuli baptizarent, si baptismum Ioannis uerenter, imò potius gaudere deberent, quod sui magistri baptismum à Christo, cuiusque discipulis approbaretur. Tum denique, quia ipse Ioannes dixit se baptizare in aqua, Christum Dominum baptizatum in Spiritu sancto Ioann. 1. & Matth. 3. ob quam causam plures ad Christum baptizandi conuenerunt. Quod uero discipuli Christi non baptizarent alio baptismum ab eo, qui nunc est, inde probatur, quia ex scriptura cõstat Christum Dominum, cuiusque discipulos baptizasse in Spiritu sancto, & igni, hoc est baptismum conferente Spiritum sanctum, animum inflammande, & tanquam ignis à rubigine peccatorum purgante. Ioann. 1. Matth. 3. nec de alio baptismum constat, nec Christum, cuiusque discipulos decebat. Sed baptismus, uel cuius Spiritus sanctus per gratiam, & charitatem communicatur, est baptismus, qui nunc est in Ecclesia. Ergo nullo alio Christum Dominum, cuiusque discipuli uis fuerunt. Secundo probò, quia ante passionem Christi institutum est Eucharistia sacramentum, & discipulis ministratum, ipsique discipuli ordinibus initiati sunt. At non est credendum prius Eucharistiam participasse, & ordinis sacramentum recepisse, quàm baptismum, cum baptismus omnium sacramentorum ianua sit, & initium. Fingere autem Christum Dominum in hac parte dispensasse, & sacramentorum dispositionem mutasse incongruum est, cum nulla sit huius fictionis necessitas, nec fundamentum. Adde plures Patres testari Christum Dominum suis manibus aliquos baptizasse, nam baptizasse Petrum testatur Nicephor. lib. 2. historia, cap. 3. & Nazianzen. orat. 39. Beatam Virginem, & utrumque, & Theophil. in cap. 3. Ioann. imò noster doctissimus Maldonat. Ioann. 3. quem sequitur Vasq. q. 66. art. 2. disp. 140. cap. 5. affirmat Christum Dominum suis manibus plures baptizasse, tametsi non frequenter; frequenter enim per discipulos faciebat. Sic explicant locum Ioann. 4. ubi dicitur Christum non baptizasse, sed discipulos eius, cum tamen Ioann. 3. dixisset Christum baptizasse; ut sit sensus Christum non baptizasse frequenter, bene tamen aliquoties, sed raro.

3. Ex his facile est rationibus oppositis satisfacere. Ad primam nego nullibi esse indicatam à Christo Domino ante suam passionem formam baptismi: satis enim indicata fuit, cum à Ioanne fuit baptizatus, & præcipuè cum eius Apostoli baptizarent baptismum à Ioanne prænunciato, quo Spiritus

sanctus communicaretur. Neque enim credendum est Apostolos sub alia forma, quàm Trinitatis baptismum ministrasse, aliàs diuersum sacramentum esset, præcipuè cum mysterium sanctissimi & Trinitatis sæpè Christus Dominus declarauerit, & ad eum communicandam hominibus illius notitiam catenam assumpserit. Fateor tamen post suam resurrectionem illud mysterium sub uerbis expressis proposuisse, & solemniter publicasse, non quia discipuli illud ignorarent, cum plene iam essent instructi Spiritu sancto, sed ut omnibus constaret ab eo tempore baptismum sub nomine Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti collatum medium esse ad salutem necessarium, illiusque mysterij notitiam omnes habere debere. Quod uero Luca 10. mentionem non fecerit baptismi, cum discipulos ad prædicandum misit, ideo fuit, quia paulo ante data fuerat discipulis baptizandi potestas, ac proinde opus non erat eam reperere. Deinde quia non passim omnes baptizandi erant, sed qui in Christum crederent, quos sciebat ante eius mortem non ita plures futuros esse. Ad secundum ex illo Ioann. 7. respondeo Spiritum sanctum uisibili forma, & abundantiori non esse datum, quia Iesus glorificatus non erat. At datus erat inuisibiliter; aliàs Magdalena remissa essent peccata; neque Eucharistia conferens gratiam instituta. Ad tertium, ex illo Ioann. 4. satisfactum est in probatione nostræ conclusionis. Ad ultimum concedo ianuam regni cælestis apertam non esse ante Christi passionem, & gloriosam resurrectionem, quia usque ad illud tempus nostrorum peccatorum debitum secundum diuinam ordinationem non erat integrè persolutum. Sed non inde inferitur baptismum institutum non esse efficacem ad gratiam communicandam. Nam illam ante passionem communicabat tum ob merita infinita Christi Domini, quæ illius institutionem præcesserant. Tum ob merita futura suæ passionis. Et licet illa gratia non illico baptismum morientem perduceret ad regna cælorum, hoc non proueniebat ex defectu gratiæ, & baptismi, sed ex eo quod diuina ordinatione statutum erat nemini regnum calorum apertendum esse, quousque Christus Dominus plene, & integrè debitum humanæ naturæ persolueret.

4. Sed quo die ante mortem Christi fuerit baptismus institutus, incertissimum est. Plures doctores censent non fuisse institutum eo tempore, quo Christus Dominus fuit à Ioanne baptista baptizatus, sed post aliquos dies cum discipulos collegit, & partim ipse, partim, & frequentius per suos discipulos turbas baptizauerit. Sic Scotus in 4. disp. 3. q. 4. Gabr. q. unica art. 5. sub. ult. Barth. ab. Angelo de sacri. baptis. dialogo. 2. §. 7. Egid. de Coninch. q. 66. art. 2. n. 14. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. c. 2. n. 2. sine, nec dissentit Suar. disp. 19. sect. 2. circa finem. Mouentur, quia eo tempore, quo Christus Dominus baptismum à Ioanne suscepit, non legislatoris personam, sed potius penitentis gessit. At institutio sacramenti baptismi ad officium legislatoris pertinet. Deinde eo tempore nondum discipulos habebat, nec prædicationem inchoarat; at non est credendum instituisse sacramentum ante inchoatam prædicationem, & discipulorum collectionem. Non enim decebat institutionem sacramenti hominum utilitatem respicientis, & per discipulos administrandi secretam esse, sed manifestam. Præterea ex eo quod Christus baptizatus fuerit, & ex omnibus, quæ ibi contigerunt, colligi non potest baptismi institutio, sed ad summum adumbrati, & præfigurari. Nam baptismi institutio formaliter importat, quod Christus Dominus perpetua lege statuerit illius marceriam, & formam ut signum gratiæ sanctificantis. At ex eo, quod ipse baptizatus fuerit, non inferretur hanc legem tulisse, neque ex eo quod Pater æternus suum esse filium publicauerit, & Spiritus sanctus in figura columbæ apparuerit, quia hæc omnia solum designant sacramenti formam, non uero constituunt; contingere enim poterat, quin esset aliqua sacramenti institutio. Ergo dicendum est sacramentum baptismi non fuisse institutum tempore quo Christus fuit baptizatus. Restat ergo ut postmodum fuerit, nempe quando Christus discipulos collegit, & potestatem baptizandi turbas contulit.

5. Ceterum probabilis existimo eo die, quo Christus Dominus in Iordane baptizatus fuit sacramentum baptismi instituisse: sic docent communiter Patres Ecclesiæ, Ambros. August. Hieron. Nazianzen. Damasc. & alij apud Vasq. disp. 140. cap. 6. Suar. disp. 19. sect. 2. traduntque communiter scholastici cum D. Thom. q. 66. art. 2. & Mag. in 4. disp. 3. ubi Dominus. Sors. Ledesma, & alij, quos refert, & sequitur Vasq. dicto cap. 6. Sayrus de sacram. lib. 2. c. 2. q. 3. art. 1. Bonac. disp. 2. de baptismo q. 2. pun. 1. n. 2. Moueor quia sæpè Patres, & doctores, quos plena manu refert Vasq. 3. p. q. 66. art. 2. disp. 140. cap. 6. post. initium dicunt Christum Dominum suo baptismum aquas Iordanis, & in ipso reliquis omnes sanctificasse, & consecrassè. At si tunc solum baptismus esset promissus, & adumbratus, incongruè diceretur aquæ sanctificatæ, & consecratæ; illiusque nostra peccata mundari, sed deberent dici sanctificandæ, & consecrandæ, nostraque peccata illis mundanda, sicuti ex promissione Petro facta de potestate clauium, Matth. 16. non dicitur Petrus Christus Vicarius consecratus, & sanctificatus;

sed suo tempore consecrandus, & sanctificandus. Adde ex solo baptismo Ioannis, & promissione ab eo facta de baptismo Christi futuro dici possent aqua consecrata, & sanctificata, sicuti dicuntur Christo baptizato, si Christus Dominus eo tempore baptismum non instituit, sed solum promisit, & praefiguravit, quia baptismus Ioannis etiam fuit umbra, & figura baptismi à Christo instituendi, in superque nomine Dei eius institutionem promisit. Ergo si ob solam promissionem futuri baptismi, & illius figuram dicuntur aqua consecrata, & sanctificata, cum hanc promissionem, & umbram habeant ex baptismo Ioannis, & promissione futuri Christi baptismi, eodem modo consecrata, & sanctificata, & nostrorum peccatorum laucarum dici debent. Quod nullo modo Patres concedunt. Signum ergo est consecratae, & sanctificatae fuisse, quia eo tempore fuit baptismus institutus. Quod si dicas sanctificatas, & consecratae esse, non solum quia eo tempore baptismum Christi instituendum praesignabant, sed etiam quia Christi contactu sacrae fuerunt, & dignae factae, ut in laucarum peccatorum nostrorum assumerentur: Obstat, quia contactu Christi non aqua absolute, sed illa numero aqua Iordanis, quae ipsum tetigerunt, essent sanctificatae. At Patres Ecclesiae affirmant baptismum Christi aquam absolute sanctificatam esse. Igitur non de sola sanctificatione per contactum, sed de sanctificatione per baptismi institutionem intelligendum est. Adde saepe Christum Dominum in vita sua aquas tetigisse, ob cuius contactum dignae erant, ut in laucarum nostrorum peccatorum assumerentur, sed non obinde à sanctis Patribus sacrae, & sanctificatae censentur, sicuti censentur in hac occasione baptismi: Ergo ob baptismum ibi institutum.

6. Superest satisfacere fundamentis num. praecedenti adductis ex quorum solutione nostra sententia firmior existit. Ad primum concedo Christum Dominum suscipientem Ioannis baptismum personam poenitentis gessisse, at postmodum instituentem baptismum, & Ioannem insuper baptizantem personam gessisse legislatoris. Neque obstat non inchoasse praedicationem suam, neque discipulos collegisse. Voluit namque ab ea institutione inchoare, ut inde probaret baptismum vitae spiritualis radicem, & fundamentum esse. Neque illa institutio secreta, & occulta fuit, sed satis publica, sicuti fuit baptismus Ioanni collatus, quem ex pluribus Patribus testatur Maldonar. in illa verba *Matth. 3.* sine modo, quemque sequitur *Vasq. dicta disp. 140. cap. 6. circa finem n. 45.* Fateor tamen ex solo baptismo Ioannis Christo colla, & mysterij Trinitatis manifestatione non satis colligi huius sacramenti institutionem. At ex autoritate Patrum affirmantium eo baptismo aquas sanctificatas, & consecratae esse in nostrorum peccatorum laucarum optimè colligi, praecipue cum paulo post discipuli Christi baptizarent non baptismo Ioannis, ut probatum est, sed Christi baptismum. Neque appareat quo tempore illius fuerit institutio.

7. Quod si inquiras discrimen nostri baptismi à baptismo Ioannis? Breuiter, & optimè illud expendit Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 2. n. 7.* Inquit enim: Baptismus Ioannis differt à baptismo Christi, primo in institutione; quia baptismus Ioannis non fuit institutus in sacramentum, hoc est in caeremoniam stabilem ad hominum sanctificationem, sed solum, in dispositionem, & figuram nostri baptismi, quo instituto, & promulgato cessavit. Secundò differt in forma, quia baptismus Ioannis non conferebatur sub inuocatione sanctissimae Trinitatis, sicuti noster baptismus confertur. Tertio quoad effectus, quia non conferebat gratiam sanctificantem ex opere operato, neque characterem imprimere, quod secus in nostro baptismo contingit. Ex quo nascitur quarta differentia scilicet baptismum Ioannis insufficientem fuisse ad salutem, illoque baptizatos indiguisse Christi baptismum. Quinto differt in ministro, quia baptismus Ioannis à solo Ioanne ministrabatur, at noster baptismus à quolibet ministrari valet. Tandem differt in necessitate, quia Ioannis baptismus nec necessitate medij, nec fortè praecipit fuit ad salutem necessarius, secus noster.

PUNCT. III.

De materia remota baptismi.

1. Aqua naturalis apta ad abluendum est materia remota.
2. Quae excludantur à materia baptismi.
3. Aqua inepta ad abluendum excluditur.
4. Aquam esse maris, fluminis, vel fontis frigidam, vel calidam per accidens est.
5. Vti aqua turbida, & impura ad baptismum absque graui necessitate peccatum est mortale.

1. **F**ides docet pro materia baptismi aquam naturalem, seu elementarem aptam ad abluendum designatam esse à Christo Domino. Sic definitum est in *Concilio Latera-*

nen. relato in cap. firmiter de summa Trinit. & in Concilio Florentino in decreto Eugenij 4. de Armenis, & in Triid. sess. 7. can. 2. colligitur aperte ex illo Ioannis. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. & tradunt omnes Catholici. Ratio huius institutionis creditur esse, quia hoc Symbolum aptissimum est ad significandam animi munditiam, & ex alia parte ob eius redundantiam omnibus peruium, ut sacramentum ita necessarium facile administrari possit.

2. Hinc fit non esse materiam huius sacramenti sudorem, lac, vrinam, lachrymas, sputum, seu saliuum, aquam rosaceam, seu ex viti, aliisque herbis, & floribus expressam. Item ex sale resolutam, ceruisiam, & iulculum, si satis decocta sint, quia nec censentur, nec sunt aqua naturalis, seu elementaris, Sic docent cum D. Thom. *q. 66. art. 4.* ferè omnes doctores teste *Vasqu. disp. 141. cap. 1. circa finem. Suar. disp. 20. sect. 1. Aegid. de Coninch. q. 66. art. 4. Paulo Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. Bonac. disp. 2. qu. 2. punct. 3.* Verum quia aliquoties probabile est liquores ex herbis expressos, saliuum, aquam ex sale resolutam, ceruisiam, & iulculum, si satis decocta sint, quia nec censentur, nec sunt aqua naturalis, seu elementaris, Sic docent cum D. Thom. *q. 66. art. 4.* ferè omnes doctores teste *Vasqu. disp. 141. cap. 1. circa finem. Suar. disp. 20. sect. 1. Aegid. de Coninch. q. 66. art. 4. Paulo Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. Bonac. disp. 2. qu. 2. punct. 3. n. 6. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 2. corol. 1. & alij.*

3. Notanter dixi materiam huius sacramenti esse aquam aptam ad abluendum: quia hoc sacramentum in ablutione consistit, eaque de causa lutum, glacies, & nix nisi resoluatur, materia huius sacramenti non sunt, quia esto ab aqua elementari non differant physicè, differunt moraliter quoad vsum ob ineptitudinem, quam ad lauandum habent. Sic *Aegid. de Coninch. q. 66. art. 4. n. 17. Suar. disp. 20. sect. 25. art. que hinc obiter. Bonac. disp. 2. qu. 2. punct. 3. n. 6. Laym. lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 2. corol. 1. & alij.*

4. Quòd verò aqua sit fluminis, fontis, vel maris, frigida, vel calida parum interest, imò quod per terram sulphuream, vel cineres calefactos transierit, & turbida sit, non obinde deficit à materia huius sacramenti: quia est vera aqua naturalis apta ad abluendum, esto ad bibendum apta non sit. Sic D. Thom. *qu. 66. ad 4. Vasqu. disp. 141. cap. 1. n. 9. Bonac. d. punct. 3. n. 6. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 1. in corol.*

5. Aduerte tamen vti aqua impura & turbida ad baptismum conficiendum absque necessitate graui peccatum mortale esse sacrilegij nam esto sit huius sacramenti materia certa, est tamen aliena ab vtu Ecclesiae, & contraria reuerentiae sacramenti. Adde vti alia aqua praeter aquam benedictam, quae in fonte baptismali ad hunc effectum seruetur, peccatum graue est, ut satis colligitur ex *Clement. unica de baptismo*: ob necessitatem tamen virgentem cuiusvis aquae vltus licet: sic notauit *Aegid. de Coninch. qu. 66. art. 4. Reginald. lib. 27. num. 13. Henric. lib. 2. cap. 6. Bonac. disp. 2. qu. 2. p. 3. nu. 6. & alij.*

PUNCTUM IV.

De materia proxima Baptismi.

1. Ablutio est materia proxima.
2. Fieri potest immersione, aspersione, vel effusione. Sed in his seruanda est diuina consuetudo.
3. Qualiter formam baptismi proferre debes consciens sacramentum trina immersione.
4. Minimam guttam aquae, si minimam corporis partem tangat esse sufficientem ad sacramentum baptismi, qui defendunt, & qualiter probent.
5. Probabilius est aliquam partem corporis principem abluendam, & non vna sed pluribus guttis.
6. Aqua immediate tangere debet corpus baptizati successiuo motu.
7. Satis est probabile te esse baptizatum, si lauaueris in capillis.
8. Idem dic si lauaueris corio, seu pelle secundum circumdatus.
9. Immersione, qua quis suffocatur, baptismum non confici plures defendunt.
10. Contrarium est probabilius.
11. Rationes num. 9. adductae dissoluantur.
12. Semper est illicita supradicta baptismi ministratio.
13. Non est secunda mater etiam proximè mortura, ut infans baptizetur.
14. Bene poteris ministrare baptismum infanti, esto cognoscas inde mortem accelerandam aliquoties esse.

1. **S**uperiori puncto dixi materiam remotam esse aquam, ut indicarem aliam esse proximam, scilicet ablutionem per ipsam, iuxta illud ad *Ephes. 5.* mundans lauacro aquae & *Matth. 28.* baptizantes eos, id est lauantes. Ratio est manifesta. Nam illa est proxima, & immediata sacramenti materia, quae per formam illius determinatur; at forma sacramenti baptismi non aquam secundum se, sed aquae vsum, scilicet ablutionem determinat. Id enim significat verbum *bap-*